

altare de loco isto: & fertur, quod S. Meinulfus vidit
cervum cum cruce hic cubantem. Gloria tibi Trinitas.

Cap. XI. 4. Idus Novembris.] Legialicubi, S.
Meinolphum operâ & subsidio Corbejensium Mona-
chorum Bodecense collegium struxisse. Templum
porro Bodecense, quod Canonici Regulares Ord. S.
Augustini sæculo XV constructo novo psallentium
choro restaurarunt, consecratum est cum arâ majori
Nonis Junij, die S. Bonifacio Archiep. Martyri sacrâ,
à Johanne Thefelicensi Episcopo, Simonis Episcopi Pa-
derbornensis Suffraganeo, Anno MCCCCLXXXV, de-
dicatumq; sanctissimæ Deigenitrici Maria, Cœno-
bium moderante Bernardo de Monasterio Priore.

Cap. XII. Consumpti velaminis.] Pannum hunc
integrum asservari in Reliquijs S. Meinulfi cum ignis
vestigio, ex Suriana editione notat Brovverus.

Cap. XIII. 3 Nonas Novembris.] In codice Har-
dehusano aliâ manu additum est, mensem Novembrem
hic pro Octobri positum: quod equidem non capio.
Gobelinii apographa, Suriana editio & epitome Bro-
vveriana habent S. Meinolphum obiisse III Non.
Octobris: velut etiam Martyrologium Buxtorffense, &
Martyrologium aliud à Brovvero hoc modo cita-
tum: V. Octobris. Budica, Monasterio diocesis Pade-
bornensis, S. Meinulphi Diaconi & Confessoris, Item
Albertus Krantzus Metrop. lib. 1. cap. 16.

Lib. II. cap. III. Temporibus Arnulfi Regis, Bi-
sonifq; Ep.] Arnulfus Carolomanni Regis filius no-
thus, Triburienfibus Principum comitij anno 887
circa Idus Novembris, vivente Carolo Crasso, Rex, &
anno